



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XX. Die Markgrafen Otto und Albrecht verkaufen dem Kloster Chorin das
Dorf Ziethen, am 25. September 1275.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

XX. Die Markgrafen Otto und Albrecht verkaufen dem Kloster Chorin das Dorf Zietzen, am 25. September 1275.

Nos Otto et Albertus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, notum facimus tam presentibus quam futuris, quod nos viris religiosis Monachis in Chorin vendidimus villam nostram Cythene cum omnibus suis attinentiis, videlicet pratis, aquis et pascuis in Merica et cum ea distinctione, qua nos ipsam dinoscimur possedisse. Vendimus autem eo modo, quod pro quolibet fructu libero soluent nobis decem marcas, decem autem cum quatuor mansis dotalibus sine pecunia habebunt liberam, Et quatuor mansos villici ejusdem ville pro quatuor marcis soluent. Preterea omnia bona, que in predicta villa sunt infeodata, libera faciemus. Et si de consensu et voluntate rusticorum predictae ville pensionem annuam majorem facere poterimus, in quantum talis pensio fuerit exaltata, tantum magis predicti monachi nobis soluent secundum precium supradictum. Ex hac autem villa predicti Monachi in festo beati Martini nunc venturo totam pensionem annuam recipient sicut de aliis suis bonis. Predictis itaque viris religiosis supradictam villam nostram cum omni jure et omnibus suis attinentiis, ut supradictum est, vendidimus, ita tamen quod infra hinc et festum carnisprivii nunc venturum ipsam ab eisdem viris religiosis emendi sicut ipsi a nobis emerunt, si nobis placuerit, liberam habebimus potestatem. Vt autem supradicta omnia inuiolabiliter obseruentur damus in testimonium presentes nostras literas sigillorum nostrorum munimine et testium subscriptione confirmatas. Testes autem sunt vir religiosus frater Anno de Strucesberch, dominus Arnoldus de Jagowe, dominus Hermannus de Carpzowe et dominus Hermannus, dictus Botel, quibus presentibus acta sunt hec apud Werbelinum, anno domini M^o. CC^o. LXXV^o., VII^o. Kal. Octobris.

Aus dem nach dem Original des Königl. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 415.

XXI. Die Markgrafen Otto und Albrecht verkaufen dem Kloster Chorin fünf Hufen in Bernsdorf, am 25. September 1275.

Nos Otto et Albertus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, recognoscimus et presenti pagina protestamur, quod pie memorie pater noster dominus Otto, quondam Marchio Brandenburgensis, viris religiosis monachis in Chorin dedit quinque mansos in villa Beigerdorp cum proprietate et plena libertate, ita videlicet quod ejusdem patris nostri debita de ipsis quinque mansis et de aliis bonis ad hoc deputatis persoluantur, et illis persolutis ad predictorum monachorum sacrum collegium in perpetuum permaneant cum omni suo fructu. Cujus patris nostri bone memorie factum in perpetuum confirmamus, dantes in testimonium presentes nostras literas sigillorum nostrorum robore confirmatas. Datum apud Werbellinum, anno domini M^o. CC^o. LXXV^o., VII^o. Kal. Octobris.

Aus dem nach dem Original des Königl. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 417.